



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

De Officio Mortuorum, Missa conuentuali, & supplicatione. Tit. X.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11399

DE CONFESSIONE.

TIT. IX.

PRidie diei conuentus, singuli Ecclesiastici ordinis homines qui eò conuenire debent, de peccatis suis ritè sacerdotibus confiteantur, quibus audiendi cleri confessiones ius est.

Confessarii autem eo die in primis faciles, paratos, ac promptos se præbeant ad ministerii sui functionem: ac propterea die sequenti etiam ad constitutum locum, vbi conuentus habetur, tempestiuè ire contendant.

Afferant singuli confessionis suæ, ab eo tempore quo conuentus vltimò habitus est, testificationem, confessarij manu exaratam, aut certè subscriptione signatam ad formulæ præscriptum.

Qui verò iusta causa impeditus à conuentu abfuerit, quocunque gradu præditus, suæ tamen confessionis testimonium mittat: qui autem vel non attulerit, vel non miserit, nummo aureo vno mulctetur.

Vicarius diœcesanus, licèt vnus sit è confessorijs cleri, eo tamen die mane quo conuentus habetur, ab eo munere, vt poterit, abstineat.

DE OFFICIO MORTVORVM,
Missà conuentuali, & supplicatione.

TIT. X.

Vbi eo die mane omnes contenerint superpelliceis induti, totum officium pro defunctis (quod tribus nocturnis & laudibus continetur) non raptim, non turbulente, non præpropere quadam voce, sed grauitè, distinctè, piè, & religiosè concinant; vt alios etiam incitent, & ad orationem pro defunctis, & ad meditationem mortis.

Deinde Missà solennis celebretur à Sacerdote, ministris adhibitis, quibus in proximo conuentu iussum est.

Iijque pro ratione muneris quo funguntur, sacris vestibus induti sint.

Ea Missà solennis fiet pro defunctis in ea ecclesia cœmeteriove sepultis, nisi ali quando in conuentu qui Synodum Pro-

uincialem diœcesanamve proximè antecedit, aut in alia eiu modi occasione, de Spiritu sancto eam celebrari Vicarius maluerit, vt ex decreto Synodi Provincialis primæ permiffum est; ea tamen legè, vt officium pro mortuis nunquam omittatur.

Postea Missà celebrata, siue pro defunctis, siue de Spiritu sancto, solènis defunctorum absolutio fiet, supplicatioq; item, processio ve per cœmeterium agetur.

Quod munus sacerdos obeat is, qui Missam solennem celebravit, pluuiiali nigro indutus, diacono Crucem, ac luthis aquam benedictam cum aspersorio, & thuribulum cum acerra præferentibus, cæteris verò cereos accensos gestantibus, qui vnciarum duarum saltem pondere sint, eademque forma quoad eius fieri poterit, ecclesiæ vbi conuentus habetur, sumptibus empti.

Cuius item Ecclesiæ erit, quidquid de ijs reliqui erit.

DE CONCIONE.

TIT. XI.

ANtea verò quàm Missà solennis celebretur, ad populū de suggestu concio ab eo habeatur, quem in proximo superiori conuentu Vicarius delegerit. Cui Vicario rector ecclesiæ accuratè significabit, quæ ad illius loci vbi conuentus celebretur, hominum disciplinam, spiritualisque vitæ studium concionantis officio excitandum vsui esse possint, quæ praua consuetudo, quæ morum corruptelæ, quæ publica peccata exagitant, omniq; ratione ex hominum mentibus prauoque vsu radicitus extirpanda: quæ rursus virtutes potissimum difseminandæ, quæ item pietatis opera instituenda, aut certè excitanda: & ad quas denique res ij homines inflammandi, & à quibus reuocandi.

Atque ea ipsa quidem omnia Vicarius rectè suggeret concionatori: qui studium diligens ponet in Euangelio, quod die dominico proximè sequenti de more in ecclesia legetur: concionemque sanctioribus illius explicationibus contextet, totamque populi apud quem concionatur,

De Vic. For.
p. 21. §. Tum
vniuersi.